

re ac vigore consistit, quod quidem in Iuuentute evenire non dubitandum, cum in etate virili iam illum manifeste pene declinare supra demonstraverim.

17 Appellatur & hæc ipsa ætas Constantis, ut Cic. in lib. de senect. dicenti, Gravitas propria iam constantis ætatis, & hoc ad differentiam ipsius Iuventutis, quæ communiter inconstantis solet appellari, ut Homer. Iliad. lib. 3.

Semper vero iuniorum virorum animi instabiles sunt, quod ob fervidam naturam, ut testatur Plato 2. & 7. de Leg. illis accidit, ut quietem agere non possint, quamorbem Horat. in arte Poet. de Iuvene verba faciens:

Cereus in vitium seclis, monitoribus asper, Vilius tardus provisor, prodigius ævis, Sublimis, cupidisque, & amata relinquere permix.

De viro autem contra:

Conversis studiis ætas, animusque virilis, Querit opes, & amicitias, inseruit honoris, Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

18 Præterea (cum de hac ætate nihil occurrat discutendum præter nomina) appellatur hæc ætas Media; dici enim Ætas media circa quinquagesimum annum, traditum est in Aurb. Quom oportet. Episc. 5. Quanta igitur. Et videtur idem sentire Gal. comm.

1 Aphor. 13. iniquens, Appellat autem ætatem habentes consistentem, qui mediam ætatem habent inter Iuvenes, & Senes, quin & idem nomen sortita videtur apud Cic. in lib. de sen. dicentem, Num ea iam Constantis requirit ætas, quæ Media dicitur? sic & apud Cels. sue Med. lib. 2. cap. 1. neque ab re dicitur Ætas hæc Media (apud Iurisperitos præcipue, apud quos nullo alio nomine insignitur) quia participat tam ætatum incrementum, quam decrecentium, & inter utraque media habetur. Ex quibus notandum videtur Fuchsius com. Aphor. primo Aph. 13.

20 qui Mediam ætatem non consistentem, sed declinantem esse dixit, merito igitur notatur à Valles. lib. 1. loc. cap. 10. cum tamen ipse Valles. ibid. cap. 1. Mediam ætatem, & Iuventutem unam eandemque ætatem facere videatur: tamen Fuchsius potest suam assertionem defendere, si ita declare suam sententiam, ut respectu nativi caloris hæc ætas declinans dici possit.

Ad quem autem annorum numerum in pluribus sese extendat hæc ætas, Iurisperiti non definiunt ob id, quod dixi, ipsos non distinguere inter hanc ætatem, & Iuventutem, quamorbem Iuventutem, seu Virilitatem, ut ipsi dicunt, ad quinquagesimum annum extendi voluerunt, cum tamen ex Galeno, ac cæteris Medicis, quos supra adduxi, pateat, Iuventutem multo citius finire. Sed idem Gal. cit. com. 3. Aphor. 30. Virilitatem seu consistentem ætatem dicebat à trigésimo quinto anno, in quo terminatur Iuventus, ad duos sequentes septenarios perdurare, ita ut coincidat cum Iurisperitorum opinione, eam scilicet quinquagesimo anno suum terminum ultimam fortiri.

23 Sed, ne omnem operam iussisse in hac quæstione videamur, queramus pro Legumperitis, num ea omnia, quæ in Iuvene, quoad corporis spectat robur & firmitudinem, locum habent, debeant etiam procedere in consistenti ætate, & ratio dubitandi est, quia, ut supra diximus, Consistentes iam declinare incipiunt, ita ut vires corporis in ipsis deperdit consequens sit, nam & sanguine, & spiritibus minus, quam Iuvenes abundant. Gal. cit. Aphor. 30. secl. 3. quamorbem iure de ea re ambigunt.

His tamen non obstantibus, dicendum videtur, homines in consistenti ætate, non minus quam in iuvenili posse & corporis, & multo magis animi virtute uti: nam & pristinum robur quoad corpus adhuc retinent, & animo etiam maiore præditi sunt, ita ut ob hoc ipsum multo magis, quam Iuvenes etiam ad corporeas actiones apti videantur, faciunt quæ adduxit Epiphani. Ferdin. ubi supra, apud quem, quæ ad hanc rem aptari possunt, legitur.

S V M M A R I V M.

- 1 Senectuti multum tribuunt Leges.
2 Senectutis miseratio habetur.
3 Senes torqueri non debent.
4 Senes levius in delictis puniuntur.
5 Senectus quid. & num. sequenti. Vide num. 8. & num. 12. & num. 13.
7 Animal in ætate consistenti declinare incipit.
7 Manifesta animalis declinatio apparet in senectute.
10 In senectute animal transit ad frigidam & siccam temperaturam.
11 Senectus est via in corruptionem.
14 Omne animal respectu sui ipsius calido & humido est temperamento à nativitate.
15 Ortus proxima calidissima & humidissima.
16 Termina senectutis plurimum variant.
17 Nihil ceteras ætates præter pubertatem accelerat, aut retardat.
18 Senectus ex multis causis retardari, nempe accelerari potest.
19 Senex quis dicatur.
20 Glo. nimis proterbens Iuventutem, nimis simul senectutem distulit.
21 Senectus in tres partes divisa.
22 Prima senectutis pars.
23 Secunda senectutis pars.
24 Senectus tertia pars.
25 Senectus termini qui.
26 Senectus bipartita.
27 Prima Senectutis pars, & ad quem annum extendatur num. seq.
29 Secunda senectutis pars.
30 Senex quis dicatur Iudicis arbitrio relinquuntur.
31 Præcipuum senectutis administrativum est viri defectus.
32 Senex dici non potest, qui vires habet integras.
33 Senes nulli robur habent.
34 Iuvenis dicitur, qui senex non est.
35 Primum, quod in senes considerari debet, est, an vires habeat, nec ne.
36 Iuvenis in Iuventutis termino potest senescere.
37 Idem homo uno eodemque tempore & senex, & juvenis dici potest.
38 Senex quando quis dicatur. & num. seq. & 40.
41 In prima senectute constituti civilia negotia obire possunt.
42 Senex ad effectum, ut quis à publicis muneribus vacet, quando dicatur. & num. 43. declaratur ut num. 44. & num. 47. Vide etiam num. 48.
45 Ad quosdam peculiare effectus non relinquuntur arbitrio Iudicis, quis dicatur senex.
46 Supra 60 annum omnibus convenit, ut senes dicantur.
49 Quibus muneribus vacare permittantur senes.
50 Terminus generationis quis sit. & num. 51. 52. 53. & num. 58.
54 Viri centum annorum generantur.
55 Supra septuagesimum nullus generat masculum.
56 In feminis citius deficit generandi facultas.
57 Femina quamdiu menstrua patitur generare potest.

59 Coarctatus non habet pro monstroso, ut Lex partum supra quinquagesimum factum.

60 Nulla regna ex his sumitur, quæ de raro contingunt.
61 An Senectus debeat dici morbus. affirmare numero seq. contrarium num. 63.

64 Senes Iuventibus egrotant minus, declaratur num. 70. & 71.

65 Senectus ægra vocatur.
66 Senum sanitas non absolute sanitas.

67 Senectutem esse morbum. & num. 68. 69. & 72. contrarium num. 73.

74 Infirmitas est habitus cuiusvisque corporis præter naturam.

75 Morbus quid sit.
76 Stans sensum, quicumque sit, naturalis est.

77 Aliqui effectus, qui in aliis ætatibus præter naturam dicuntur, in senibus sunt naturales.

78 Senectus quomodo ab Arist. vocata sit morbus.
79 Senectus si aliquo modo dici debeat morbus, naturalis magis est dicenda.

80 Senum sanitatem non esse absolute sanitatem, quomodo intellexerunt Gal. & Avic.

81 Senes non se habent præter naturam.
82 Senectus debet accipi, prout divisa est à Gal. in tres partes, cum decidi debet. an dici aliquo modo possit infirmitas.

83 Infirmi nomen Seni in quantum Seni non convenit.

De Senectute.

Q V Æ S T I O I X.

Sed jam tempus videtur, ut de Senectute differamus, cui multum tribuere leges, patet ex iis, quæ adducit Masc. de probat. concl. 1295. n. 1. vol. 3. nam multis gaudet privilegiis, eisque peculiaris miseratio habetur glo. fin. in l. Auxilium. §. sed ut ff. de minor. quamorbem nec torqueri, nec ullo tormentorum genere affici possunt senes. Masc. ubi supra. num. 6. quinimo levius in delictis puniuntur. Glo. in l. Aere ff. de reg. Iur. Farin. in præf. crim. lib. 3. Tom. 1. par. 2. quæst. 42. num. 23.

Multum interest ergo Iureconsultorum, scire quinam proprie senes dici debeant, & quenam ætas proprie senectus dicatur. Ac profecto senectus, ut habetur in lib. fin. Medic. Gal. adscripto in lib. Isag. est ætas, in qua diminuitur animal; cui definitioni non dissimilis assertur in lib. definitionum Plat. adscripto, hoc est, senectus est imminutio animalis à tempore contingens.

Cum tamen, ut in superiori quæst. jam diximus, animal in consistenti ætate declinare, ac diminui incipiat, non ab re in altatis definitionibus adverbium illud manifeste, vel adjectivum illud manifesta, addendum videbatur: nam tametsi in consistenti ætate animal declinet, tamen manifesta declinatio non apparet, nisi adveniente senectute, ut testatur Plato in Timæo trans. Med. tunc enim fit transitus ad frigidam, & siccam temperiem, ut elicitur ex pluribus Gal. locis, & confirmat Fgo Senen. in art. par. Gal. lib. 2. part. 20. ob hunc enim transitum ad temperiem, vitæ ipsi contrariam, recte Arist. Polit. 2. senescere, dicebat, viam esse in corruptionem, cum qua sententia convenit Gal. de Temp. 2. cap. 2. class. prima. quam sapienter ergo Alexis ille Menandri comici patris iam senectute confectus interroganti cuidam, quid ageret, respondit, Paulatim morior. Sed

12 Arist. in lib. de Iuvent. & senect. cap. 14. senectutem hoc pacto definiit, Senectus est primæ refrigerati-

tivæ particulæ decrementum, hoc est caloris naturalis defectus: nam id pro prima refrigerativa particula ipsum intellexisse, pro uunc supponamus; neque enim vacat eam definitionem longioribus enodare, nec aptus hic locus ad eam rem esset.

Apertius senectutem definiit Gal. 5. de san. tuend. 13 cap. 9. class. 2. dicens, Senectus est frigidum & siccum corporis temperamentum, amorum multitudinis ratione proveniens. nam tametsi animal à suo primordio frigidum & siccum temperamentum sortitur, tamen non poterit dici semper in senectute fuisse, nisi cum ex annorum multitudine tale temperamentum habeat: omne enim animal respectu sui ipsius à nativitate calido & humido est temperamento (cum, quæ ortui proxima sunt, humidissima & calidissima existant. Hipp. in 1. de Vict. ra. prope finem) licet comparatione temperati animalis, frigidum & siccum existat; temperamentum ergo senectutis respectu sui ipsius considerari debet ita, ut in frigidum & siccū lapsum videatur animal, cum antea respectu sui ipsius calido & humido dotatum fuerit.

Termini porro huic ætati constituti præ cæteris variare videntur, quippe cum & ipse huius ætatis adventus plurimum, quam accessus aliarum ætatum evariet, & manifestius etiam, quam aliarum se prodatur; siquidem alias ætates, una excepta pubertate, neque accelerare, neque retardare evidenter quicquam posse videtur, sed quæque, prope intrinsecum animalis feret temperamentum, præscripto tempore mutationes proprias sortitur, at senectus & à morbis, & à curis, & à victus ratione, & à laboribus evidentissime & acceleratur, & retardatur. Videtur ergo difficilius esse, quam in aliis ætatibus huic suos terminos præscribere, ejus tamen rei plures opiniones refert Menoch. de arbit. lib. cas. 3. 59. per totum, quas apud ipsum videre cuicumque licet.

Generaliter tamen dici senex, inquit ipse ibid. num. 1. ab anno quinquagesimo. ita Abb. in c. quon. frequen. num. 18. ut lit. non contest. & in c. si qui test. num. 7. de Test. & attestat. quem & ipse adducit. Gram. decis. 34. num. 4. Apud Sinenles etiam (qui maxime politicæ studere se profitentur) transacto quinquagesimo anno viri inter senes connumerantur, teste Trigantio lib. 1. de Christian. Expedit. apud Sinas cap. 7. Et fortasse mature nimium; aliàs enim longæ ætatis sunt & robusti, cum ea usque ad 70. viridi non destituuntur, teste eodem ibid. cap. eod. Sed Iurisperitorum alii voluerunt senem dici tantum eum, qui 60 annos agit. Capuaq. decis. 31. par. 1. Menoch. de Arbitr. Casu 54. per totum. Rota in Sabin. Allevionis. 15. Novemb. 1621 coram Pirovano. Sed Gloss. in l. Hered. comp. ff. ad l. Falc. & Felu. in citato c. si qui test. num. 6. nimis protraxisse videntur Iuventutem, senectutem vero nimium distulisse, cum Iuventutis definitis, & incipientis senectutis terminum septuagesimum annum posuerint.

Gal. 5. de san. tuend. cap. ult. in f. class. 2. quem etiam ex alio auctore citat Menoch. ubi sup. in tres partes divisit senectutem, majorem & minorem corporis imbecillitatem, viriumque diminutionem præ oculis habens. primam autem ejus partem crudam, & viridem senectutem vocavit, de qua fortasse etiam Homer. intelligebat Iliad. lib. 23. vers. f. dicens:

Cruda senectæ autem ipsum ajunt esse. Et Virgil. 6. Æneid. — sed cruda Deo, viridisque senectus. De qua etiam Iuvenal. Satyr. 2. Dum nova canities, dum prima & recta senectus.

Et de hac ipsa senectutis parte mentionem habet
 23 ipse Gal. *comm. 2. in Prognosi. Hipp. Tex. 69.* secundam
 propriam senectutis nomen habere voluit; in ea
 24 enim iam manifestissime vires dejectae, ac corpus
 declinatum conspicitur: tertiam, quae ultima est,
 Pempion Graeco vocabulo dici narrat, scilicet, ut
 ipse addit, ab eo, quod est in pompam mittere, quae
 ad manes ducit; & idcirco facere amicus ille Plautinus
 seni interroganti in Mercatore Act. 2. Sc. 2.
 DE. *Quid tibi ego aetatis videor? ET. Achernicus*
Senex, vetus, decrepatus
 respondit. & haec decrepita & praecipitata aetas est,
 vel senium. Hanc ultimam senectutem aetatem grandem
 senemque appellavit Euclio ille Plautinus in Aulularia
 act. 1. scen. 4. diviti cuidam, qui suam sibi filiam
 in matrimonio dari exposcebat, respondens:
 ME. *aetatem meam scis? EV. scio esse grandem,*
itaque ut pecuniam.

His tamen senectutis partibus licet nullum terminum
 assignaverit Gal. nescio ex cujus opinione assignaverit
 25 Menoch. ubi sup. & primam a quinquagesimo
 anno ad 60, secundam a 60 ad 70, tertiam
 a 70 ad vitae finem extendi dixerit.

26 Verum nonnulli senectutem in duas tantum partes
 dividerunt, quemadmodum alii fecit idem Gal.
 27 *comm. Aphor. 1. Aphor. 13.* ac primam ejus partem
 (quae *Avicenna prima primi doct. 3. c. 3. in prin.* dicitur
 aetas declinans cum remanentia virtutis) a quadra-
 gesimo anno incipere, & ad sexagesimum termina-
 ri, ut ipse etiam Avic. tradidit. Fernel. vero, qui
 hanc ipsam aetatis partem cum Cic. in *lib. de senect.*
 ingravescens vocat loco saepius cit. *Physiol. lib. 3.*

28 cap. 10. libentius cum Iurisperitis convenire vide-
 tur, eamque a quinquagesimo ad sexagesimum quin-
 29 tum protrahit. secundam vero partem, quam de-
 crepitem, & senium nominant, & Avic. ibid.
 aetatem declinans cum manifesta virtutis deper-
 ditione, a sexagesimo, vel quinto supra sexagesi-
 mum ad ultimum vitae suam constituunt habere pe-
 riodum.

Ex his ergo facile innotescere potest Iurisperitis
 30 pro rerum agendarum diversitate, quinam merean-
 tur dici senes: licet enim hoc Iudicis relinquatur
 arbitrio. *Menoch. de Arbitr. Ind. lib. 2. cap. 59. num. 3.*

31 *Mascard. de Probat. concl. 1295. num. 8. Vol. 3.* ta-
 men sciendum, quod praecipuum senectutis admi-
 niculum est virium defectus; & idcirco Gal. 11.
 32 *Method. med. cap. 9. class. 7.* Senem dici non posse,
 33 affirmabat, qui vires habet integras, & *lib. de cur-
 rat. per long. miss. cap. 9. class. 6.* senes nullos robur

34 habere dixit; & hoc fortasse sibi voluit rex. *cit. a. l. Non dicit. ff. de leg. & fid. 3.* cum inquit, Iu-
 venis dicitur qui senex non est, hoc est, qui virium de-
 fectu adhuc ob annorum multitudinem non laborat.
 Hoc igitur praecipue venit inspiciendum Iudici
 in eo, cujus ferre sententiam debet, utrum senex sit,
 nec ne, vel pro se habendus, quoad ea quae ad
 35 corporis spectant imbecillitatem, scilicet, an viri-
 bus, & corpore decenti robore dotetur: quod si
 vires adsint, & corporis robur, etiam si major sit
 sexaginta annis, tamen juvenem, vel non senem ju-
 dicabit, sin minus, etiam si minor esset quinquaginta,
 tamen pro se illum acceptabit: nam etiam ju-
 venem non transfactis annis juvenuti dicatis fene-
 36 scere posse, patet ex iis, quae adduxi *superiori q. num. 31.*

37 Apud Legumperitos autem pro rerum agendarum
 diversitate idem homo uno eodemque tempore in una
 eademque aetate, & senex,

& non senex judicatur; unde est, quod aliquando
 non nisi post septuagesimum annum hominem senem
 appellat *Glo. in l. si paterfamil. ff. de Adopt. & Emancip. in verb. sexaginta, & in l. juvenis. ff. de Test.*
 aliquando vero post quintum supra quinquagesimum
 ead. glo. ubi supra & aliquando illico post quinquagesimum,
 ut supra dixi. Illud autem silentio non praeterendum ex Gal. loco supra citato
 40 *de sanit. tuen. lib. 5. cap. ut. inf.* quod ii, qui in prima
 senectute constituti sunt, adhuc civilibus negotiis vacare
 possunt, quapropter non omnino ab re *Abb. in c. cit. Quon. freq. num. 18. ut lit. non contest. & Felin. in c. si qui test. num. 6. de Test.* non ante,
 quam quis major existat septuaginta annis, volent
 eum ad hunc effectum dici senem, ut a publicis muneribus
 excusetur, & videtur de mente *Plauton. in 6. de Leg. vers. princ.* qui viros usque ad septuagesimum
 annum magistratum gerere cogit, non supra, licet non infra
 quinquagesimum quem ad cum gerendum admittit, tamen
 gloss. *supra citata in l. Invisi de Test. & Menoch. de Arbitr. lib. 2. cent. 1. cas. 19. num. 5.* voluerunt, senem ad hunc
 effectum, ut a publicis muneribus vacet, dici in quinquagesimo
 quinto anno; *In l. vero. Item major. Instit. de excusat. in. non excusatur quis a tutela, nisi sit major annis septuaginta, satis tamen est ob indiduo-
 44 rum varietatem hoc cum praedicta cautela Iudicis arbitrio
 definiendum relinquere, tamen si maxime approbata videatur
 Abb. opinio, qui in eodem c. *Quon. freq. num. eod.* ad quosdam peculi-
 ares effectus non relinquunt Iudicis arbitrio hoc di-
 45 judicandum supra annum sexagesimum, cum eridenter
 pateat, omnes in illa aetate senes dici debere, & bene,
 nam, ut *Card. Conrad. Med. lib. 2. contr. 10. tract. 5.* dicebat, supra praedictum annum
 in omnibus convenit, ut aetas pro deplorata habeatur.*

Sed ad effectum vacandi a publicis muneribus
 Macrobius *in somn. Scipion. lib. 1. cap. 6.* non minus
 46 ad Plato, ut supra dixi, septuagesimum annum de-
 siderat his verbis, Cum vero decas, qui & ipse per-
 47 fectissimus numerus est, perfecto numero, id est, septuaginta
 jungitur, ut aut decies septem, ut septies deni
 computentur anni, haec a Physicis creditur meta
 vivendi, & hoc vitae humanae perfectum spatium
 terminatur, quod quisquis excesserit ab omni officio
 vacuus soli exercitio sapientiae vacat, & omnem usum
 sui in suadendo habet, aliorum munerum vacatione
 reverendus. Sed idem Plato 7. de *Repub. in f. quinquagesimo*
 anno transacto, suos cives a laboribus belli, & aliarum rerum
 ad contemplationem abstrahit, non tamen a Reipublicae
 negotiis illos omnino eliminat; & ratio non alia est,
 quam quae adducitur a Cic. in *lib. de senect.* sub Catonis
 persona de senibus loquente in his verbis, Ergo & legibus,
 & institutis vacat aetas nostra muneribus iis, quae non
 possunt sine viribus sustineri, Ceterum circa hanc aetatem
 48 quaerunt a Medicis Iurisperiti primo, ad quod usque
 senectutis spatium senes tam mares, quam foeminae
 generare possint; diversus enim utriusque terminus
 constituitur. Et Leges quidem id, quod ut plurimum
 fit respicientes, virum in sexagesimo anno ad
 generandum impotentem esse voluerunt. *In l. si pater 5. ultimo. ff. de ad-
 49 option. quam cum aliis citat Menoch. de arbit. lib. 2. cent. 1. cas. 89. num. 58.* & videtur de mente
 Arist. 7. *de hist. anim. cap. 6. in principio,* quem etiam ipse
 50 Menoch. adducit. licet idem Aristot. 5. *ejusdem cap. 14.*

plurimos

plurimos in 65 genere proderit; immo & priori
 supra citato loco septimi, etiam septuaginta annos
 natos generasse affirmat, & quod magis movere nos
 potest, tanquam omnibus communissimum esse tradit,
 in septuagesimo genere, si sexagesimum generantes
 excesserint; consentit autem & *Alb. Mag. 5. de Animal. tract. 2. cap. 1.*

53 Videtur tamen sexaginta annorum terminus conveni-
 enter admodum a Legibus constitutus; nam in pluribus,
 & secundum plurimum ita usu venire asolet, quod ab
 54 ipsis Legibus, ut alia dixi, inspicitur, minime facientibus
 aliquos casus rariores, in quibus senes & septuagesimo,
 & octogesimo generant, & id, quod *Avenz. sui Theor. lib. 2. tract. 3. cap. 1.* narrat,
 hoc est, viros nonnullos centum annis majores non
 tantum generasse, verum etiam generasse masculos,
 Licet, inquit ipse, voluerit Arist. supra septuagesimum
 nullum posse masculum generare. Contra quam Arist.
 sententiam pluribus agit *Jonber. lib. 2. error. Popul. cap. 2.* probans
 senem 70 annis majorem non solum generare posse,
 sed etiam generare posse masculum, ut *Avenz. dicebat.*

56 In foeminis autem eam generandi virtutem multo
 maturius finiri patet, in anno scilicet quinto supra
 57 quadragimum, aut ad summum quinquagesimum.
 Notum enim est, foeminam eo tantummodo tempore
 generare posse, quo menstrua experitur, vel experiri
 naturaliter debet, & idcirco neque ante pubertatem,
 neque post quinquagesimum annum generare potest,
 quia naturaliter ultra praedictum terminum, & ante
 pubertatem nulla est menstruis obnoxia; quamobrem,
 ut offenderetur in sacris litteris *Gen. cap. 18. vers. 11.* Saram
 ex miraculo concepturam, dicebatur, Erant autem ambo
 senes, provectaque aetatis, & desiderant Sara fieri
 muliebra; ex naturae enim instituto non poterat ob
 eam causam Sara concipere, ut probat *Vallés. in lib. de sac. Philosoph. cap. 10.*

Lex ergo virtuti concipiendi in mulieribus hunc
 58 terminum quinquaginta annorum praescripsit, & conceptum
 supra hunc terminum factum pro monstroso habet,
 & inter raro contingentia. *In l. si mater C. de hered. Instit. in l. si major. C. de leg. hered. & ibi Gloss. & in l. si paterfamil. §. in Arrogat. ff. de cond. Empt. & Vend. Traq. in l. si unquam C. de revoc. donat. in presat. num. 3. Mascard. de Probat. concl. 1147. num. 5. & 8. Tom. 3. Gratian. discept. foren. cap. 313. num. 14. Vol. 2.*

Codronchius tamen Medicus Imolen. in libello
 59 *Met. restif. cap. 16.* hujusmodi legum sanctioni stare se
 nolle demonstrat; neque enim habere se pro ita monstroso
 partum supra quinquagesimum annum factum
 confitetur, ut Leges habent; sed sententiam suam
 ex quibusdam raris exemplis roborare videtur,
 quae non adaptantur in Iure. Nam & nobis quoque
 notum est, in foeminis, sicuti & in viris aliquando
 terminum a Iure assignatum fallere, & satis trita
 sunt adducta a Plinio exempla *lib. 6. Nat. histor. cap. 14.*
 de Cornelia de Scipionum familia, quae post 62
 annos Volusium Saturninum peperit, & alia per-
 60 multa, quae qui videre volet, legat *Schenck. observat. Medic. rar. lib. 4. tit. de Conceptione.*
 sed ex his, quia rara sunt, nulla regula depromi
 potest, dum tempore generandi homini a natura
 constitutum requirimus, hoc enim ex iis, quae in
 pluribus, & secundum plurimum apparent, venit
 decernendum, ut dixi, Itaque non modo concludendum,

terminum generandi in foeminis esse annum quinquagesimum,
 sed immo esse quinquagesimum nimis protrahendum,
 & quadragimum quintum esse frequentiore,
 quippe cum post hunc terminum quibuscumque
 delinant fluere muliebra, & idcirco generationi
 tunc temporis ineptae omnino redduntur. sed de hac
 re vide alia nonnulla *lib. 3. barum quest. tit. 1. q. 2. & lib. eodem tit. 2. q. 8.* Secundo quaeritur
 61 a Medicis per Legum interpretes, an senectus sit, &
 debeat dici infirmitas, & consequenter senes inter
 infirmos & valetudinarios veniant connumerandi,
 in ea enim re ipsi Legumperiti inter se discordes
 esse videntur. Nam *Abb. in c. quamvis num. 2. de sen. excom. & in c. Magne num. 8. de vot. & vot. re. & c. 1. sin autem Episc. de cler. Exg. in 6. & in c. quon. freq. §. 1. ut lit. non contest. num. 19.* dixit, senectutem
 62 posse dici infirmitatem, & senes infirmos & valetu-
 63 dinarios, Sed contra *Menoch. de Arbitr. Ind. lib. 2. cas. 60. cent. 1. num. 8.* Senes non solum non posse
 vocari infirmos, sed neque valetudinarios asseverat,
 quam Menochii opinionem roborare videtur Hippocratis
 decretum *Aphor. lib. 2. Aphor. 39.* nimirum, Senes
 minus juvenibus aegrotare, quod etiam Cicero
 64 in libro de senect. firmabat:

Videntur tamen contra Menochium quamplurima
 doctorum hominum testimonia militare; patet enim
 65 apud quoscumque doctos viros, senectutem aegram,
 infirmam, queribundam, tremulam, inerte, aenum-
 osam, infelicem, miseram vocari, ac similibus multis
 epithetis insigniri, quin & ipsius senectutis incommoda,
 aetate, aegritudines, ac miseriae nominatim enarrantur,
 de quibus Iuvenalis Satyr. x. in qua inter alia multa
 haec habetur:

*Præterea minimus gelido jam corpore sanguis
 Febre caret sola, circumfusus agmine sacro
 Morborum omne genus, quorum si nomina queris,
 Promptius expediam, quos amavit Hyppia mechos.*
 Cetera vero apud ipsum perlege, & illud Plauti
 in Menachm. act. 5. scen. 2.

— ut aetas mala, merx mala est tergo!
 Nam res plurimas pessimas, cum advenit, affert:
 Quas si autem omnes, nimis longus sermo sit.
 ita ut non ab re senes, testante Cicerone ubi proxime,
 adeo gravem experiantur senectutem, ut onus se
 aetna gravius sustinere affirmant, quod supra commemoratus
 senex Plautinus etiam affirmabat ibid. dicens:

— confusus sum
 Senectute, onustum vero corpus; vires Relinquere.
 & alia vetula apud eundem in Mercat. act. 4. sc. 1.

— quin is ocyus?
 Sy. Nequeo meliorem tantum hoc enervis est, quod sero.
 Do. Quid oneris? Sy. annos octoginta & quatuor.
 Sed, quod multo magis, quam praedicta urgere videtur,
 Gal. 6. *de sanit. tuenda cap. 2. & Avic. 2. primi doct. prima cap. 2.* senum sanitate non absolute
 sanitate esse dicunt; ergo si senes absolute sani non
 sunt, saltem aliqua ex parte sunt morboosi; sed &
 66 *Arist. 5. de generat. animal. cap. 4.* senectutem a-
 pertissime morbum esse pronuntiant, quod etiam ex
 67 saepissime ac passim citata Terentii auctoritate in
 Phormion. act. 4. scen. 1. patet:
 Chr. Pol me detrimis morbum. Dem. Vnde, aut qui?
 Chr. Rogas?
 Senectus ipsa est morbus.

Quod & idem Cic. senectutis optimus propugnator,
 ubi supra negare non ausus est, cum inter cau-
 68 sas,

fas, ex quibus senectus misera sit, hanc praecipue agnoscat, quod corpus infirmum, ac imbecillum faciat. Nec tantummodo morbus dicta est senectus a sapientioribus, sed a Senec. Epist. 109. dicta est morbus insanabilis; neque enim humanae sapientiae darum est, ut corporis morbum hunc, quibusvis ministratis remediis, depellere aliquo modo possit. Itaque prudenter illud protulit Antiphanes:

Est nostra vino vita quam simillima. Aescit, est cum reliqua parua portio.

Quemadmodum igitur vinum in acetum degenerans non amplius in vinum redire potest, sic etiam homo, cum senectutis morbo detinetur, non amplius ex eo conualescere potest.

Et licet Hipp. in sup. cit. Aphor. 39. sect. 2. senes minus juvenibus egrotare dixerit, tamen id illis non ex sua natura provenit, ita ut bene Gal. in ejus Aphor. comm. firmaverit, illum non habere locum communiter in omnibus senibus, sed in iis tantum, qui minus in ratione vivendi peccare solent: alias enim idem, morbis maxime omnium obnoxios esse senes dixit; & ex sua quidem natura ita est, per accidens autem, eo quia in vivendo minus peccant, minus etiam a morbis infestantur; sed eos naturaliter maxime egrotare, ac multo facilius, quam Juvenes, late probat Alex. Perron. in dialog. de re Med. dial. 7. per totum. facit ad haec sacrarum litterarum testimonium, in quibus Ecclesiast. cap. ult. senectus tempus afflictionis vocatur, & senectutis miseriae abunde per aenigmata quaedam enarrantur, qui textus à Vallesio in sacra philosophia cap. 66. elegantissime ac peroptime explicatus est. Ex quibus videbatur, jure merito senes inter infirmos connumerandos esse, & infirmorum privilegium sui debere, cum non solum morbus sit senectus, sed, ut apparet ex adductis auctoritatibus, sit sentina & confluxus morborum omnium, unde Antiphanes ille Carystius comicus prudentissime dicebat:

Mala ad senectutem, officinam cen suam, Humana tandem congregantur omnia.

His tamen & similibus, quae in contrarium adduci possent, non obstantibus, quae tamen consulo praetermissi, cum Pterio in l. senium. C. Qui test. fac. poss. nu. 5. & Alciat. de Praesump. leg. x. praesumptione 53. sub n. 2. & Menochio ubi supra. (Et haec esse reliquorum I. V. D. sententiam testatur Aetius de Ins. cap. 14. num 3.) dicendum, senes inter infirmos non esse connumerandos; infirmitas enim est habitus cujusque corporis praeter naturam. l. i. §. sed secundum. ff. de Edil. edict. ex qua repetit. Aul. Gell. Noct. Attic. lib. 4. cap. 2. Summa Hostien. lib. 3. de Cler. Egrot. num. 1. quae definitio eadem pene est cum Gal. definitione, allata in libro de Symptom. differen. cap. 1. class. 3. quae talis est, Morbus mutatio naturalis est status, & Morbus est status naturalis mutatus actione ledens. ibid. in f. quae postrema verba sc. actiones ledens, veluti commentata lex allatae definitioni subdidit. qui usum ejus ad id fecit deteriorem, cujus causa Natura nobis ejus corporis sanitatem detulit. status ergo senium, quicumque sit, naturalis est, non ergo potest esse morbosus; illico enim contra Naturam esse dici deberet; quinimmo aliqui affectus, qui in aliis aetatibus praeter naturam dicerentur, in senibus naturales efficiuntur, ut de copia pituitae, quam maxime in senibus vigere, dicebat Gal. comm. 3. Aph. 30. quae tamen, ut doctissimus Soubert. in libell. de quart. febr. cap. 12. dicebat, in sene morbosa non est, quia aetati convenit; sic etiam, & dentibus

esse debilibus, vel eis omnino carere, quod in juvene morbosum esset, in sene morbosum non est, neque ob eam causam non sanus dici debet. l. Cui dens. ff. de Edil. edict. quam refert Gellius ubi supra. Non aliam igitur ob causam putandum est, Arist. in loco, supra pro contraria opinione allegato, non absolute vocasse senectutem morbum, sed naturalem morbum: quia nimirum, licet senectus ea incommoda secum afferre videatur, quae alias morbus afferre solet, tamen quia haec incommoda senectuti conaturalia sunt, non potest exinde senectus ita morbus dici, ut pro statu non naturali illud Morbi nomen intelligendum sit, sed si modo morbus aliquo pacto vocanda sit, naturalis morbus rectius dicenda venit.

Et in hoc etiam sensu accipiendae sunt Galeni, & Avicennae supra citatae auctoritates, firmantes, senium sanitatem non esse absolute sanitatem, ob id fortasse, quia naturaliter ab ipsa aetate multa incommoda patiuntur, praeterquam quod facillime a morbis conflictantur, ita ut habeant quandam proximam dispositionem ad morbos concipiendos; non tamen idcirco morbofi sunt dicendi, quemadmodum apertissime declarat Gal. 1. de sanit. tuem. cap. 5. vers. med. class. 2. his verbis, Omnis siquidem morbus praeter naturam est. hi (de quibus loquitur) praeter naturam se plane non habent, sicuti nec senes; qui vero plura circa hanc rem desiderat, videat Avel. Ansel. in sua Goecornia lib. 1. cap. 8. Verum enim vero satius, ex mea sententia, hac in re consilium fore judico, si senectutem in eas partes divisam accipiamus, in quas partitus est Gal. ut supra dixi, secundum quam divisionem dici potest, quod Infirmitas nomen, licet nulli feni in quantum seni conveniat, tamen si alicui feni aptari debeat, non dubium est maxime convenire iis; qui in ultimo accipitatio senio constituuntur, tales enim ob caloris nativi depauperationem morbificis causis occurrentibus, etiam minimis vix ac ne vix quidem resistere valent; minus vero infirmi nomen aptabitur his, quibus proprie convenire senis nomen supra docui, hoc est qui in secunda senectutis parte versantur: omnium denique minime ceteris, qui in prima, ac cruda senectute aetatem degunt, ut qui adhuc & aliquatenus prioribus viribus dotentur, neque iis incommodis obnoxii adeo sunt, quibus indies obnoxiores fiunt in aetate procedentes.

S V M M A R I V M.

- 1 Decrepitas est senectutis pars, & a senectute non distincta. Contrarium num. 5.
2 Decrepitas non mutat, sed magis intendit corporis temperamentum.
3 Decrepiti, ex Hippocratis sententia, a senibus non distinguuntur.
4 Senectuti nulla aetas succedit.
6 Cur Hippocrates de decrepitate non meminerit, numero 7. 8. & 9.
10 Nonnulla in Decrepito procedere possunt, quae locum non habent in sene.
11 Decrepitas quid, & num. seq.
13 Cuiuslibet aetatis cursu ad interitum properamus.
14 Quando incipiat Decrepitas, & num. 15. & 16.
17 Indicio arbitrio relinquere potest, quando quis debeat dici Decrepitus.
18 Sexagesimus annus est terminus nimis praecox pro Decrepitate, magisque convenit terminus annorum 65.
19 Quid

- 19 Quid peculiare habeat Decrepitas, quod illi commune non sit cum senectute.
20 Senes licet corporis viribus careant, valent tamen intellectu.
21 In Decrepitis deficit memoria.
22 Senes minus discere, quam currere posse.
23 Annus quinquagesimus vivens in viro, & quadragesimus in femina est corporis & animi vigor.
24 Decrepiti rationis usum pene amittunt.
25 Quae in sene respectu imbecillitatis corporis procedunt, multo magis procedere debent in Decrepito.
26 Senes a tormentis, ex aliquorum opinione, non debent fervari immunes sed Decrepiti.
27 Quae ad animi prudentiam spectant, non habent locum in Decrepito.
28 Decrepiti ut senes honorandi.

De Senio, seu Decrepitate.

QV AESTIO X. & VLTIMA.

Decrepitatem, quae & Senium dicitur, cum nonnulli voluerint esse senectutis partem, inter unam & alteram aetatem nullam fecerunt distinctionem, & fortasse non abs re; cum Decrepitas non mutare, sed intendere tantum corporis frigidum & siccum temperamentum videatur jam à prima senectute contractum, quousque illo exuperante, calidum & humidum vitae principia succumbant.

Quamobrem Gal. comm. Aphor. 3. Aphor. ultimo dicebat, aliquos distinguere Decrepitos à senibus, praeter tamen Hippocratis mentem, cum namque inibi Hipp. in praecedentibus Aphorismis morbos enumerasset, quibus singulae aetates solent plerumque esse obnoxiae, ultimo loco de morbis senectuti familiaribus mentionem habuit, de iis autem, qui decrepitate vix molesti, ne verbum quidem, ita ut ex his colligat Gal. Hippocratis mentem eam fuisse, ut nulla sit differentia inter unam & alteram aetatem, aut esse hanc senectutis partem, non autem aetatem per se; nam senectuti nulla aetas succedit, veluti Cic. in lib. de senectute allebat.

Qui tamen magis exquisita aetatum divisioni student, ipsam Decrepitatem à senectute prorsus fecernunt; ita manifeste fecit ipse Gal. Aphor. comm. primo Aphor. 13. Ras. 30. Contin. tract. 1. cap. 2. Avic. prima primi doctum. 3. cap. 3. in f. & prima quarti tract. 2. cap. 8. & in Cant. tract. 1. part. 35. & tract. 2. part. 104. Fernel. physiol. lib. 3. cap. 10.

Quod vero Hippocrates, ubi supra, de Decrepitate non meminerit, plures assignari possunt rationes. Prima, quia Decrepiti iidem morbis sunt obnoxii, quibus & senes, nisi quod & facilius eos incurunt, & magis ab illis molestantur. Secunda, quia si quos morbos incurunt, difficillime aut nullo modo ex illis sanantur, quamobrem Hippocrati supervacaneum videbatur de iis mentionem habere. Tertia, quia pauci admodum sunt, qui non ante, quam decrepitate attingant, vita fungantur. iis ergo ex causis Hippocrates de decrepitate mentionem nullam fecit, non autem quod non putaverit fortasse inter senectutem, & decrepitem aliquo interesse. Sed quomodo cum se se res habeat, necessarium videtur, ut apud Iureconsultos haec duae aetates invicem fecernantur, cum nonnulla in sene procedere possint, quae locum non habe-

ant in Decrepito; & vice versa, ut inferius dicentur.

Est igitur Decrepitas, vel si malis senium dicere, postrema vitae aetas, in qua radicale humidum ad totalem sui absorptionem, & inatatum calidum ad totalem sui extinctionem properant: ea enim de re Gal. 2. de Temperam. cap. 2. class. 1. dixit, senium esse viam ad interitum: nam licet prim. de sanitate tuen. cap. 4. affirmasset, cujuslibet aetatis cursu nos ad interitum tendere, tamen quia Decrepita aetas vitam concludit ac terminat, visum illi est, huic magis convenire eam definitionem, quam cullebat alteri, quasi ad ipsum interitum certiori, immo certissimo tramite haec multo promptius, quam caeterae aetates omnes ducat.

Incipientis Decrepitatis terminum Iurisperiti annum septuagesimum constituerunt. Abb. in cap. si quis Test. num. 7. & Gram. decis. 34. num. 4. Farin. Var. quae. crimin. & opin. com. quae. 41. num. 25. nam ad hunc usque annum perdurare senectutem volebant. Sed idem Abb. in saepius alleg. cap. Quon. Freq. nu. 18. vers. ego puto, & ex Medicis Avic. prima primi doct. 3. c. 3. decrepitem post sexagesimum annum habere principium firmavit, & videtur consentire Cardan. contrad. med. lib. 2. contrad. 10. tract. 5. sed Fern. loco saepius citato quinque addidit annos senectuti, ita ut decrepitem in sexagesimo quinto incipere statuerit.

Cum tamen hi termini plurimum in individuis evariant, iudicis arbitrio, ut de senectute, relinquendum videtur, cum de Individuis iudicium ferri oporteat, universaliter tamen sexagesimum annum praecocius assignari, quam rei naturae conveniat, existimaverim, magisque consonum esse terminum à Fernelio constitutum annorum 65.

Sed interrogabis, quidnam peculiare habeat decrepitas à senectute? Respondeo, quod in senectute corpus solummodo decrementum pati videtur, unde, licet senes corporis viribus orbati existant, animi tamen consilio pollent, & prudentia maxime praevaleant; at in decrepitate corpus multo magis, & evidenti pro annorum ratione deficit, & ipse etiam animus suum vigorem amittit. ita Lucret. 3. lib. de Rer. nat.

Post ubi jam validis quassatum est viribus aevi Corpus, & obrutus eeciderunt viribus artus, Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque. Eius vero rei indicium evidens est primum in decrepitis memoriam deficere, quod & Gal. firmabat 2. de Sympt. causis. cap. ult. class. 3. quamobrem Plat. 2. de Republ. vers. fin. contra Solonius sententiam, senes minus discere, quam currere posse asseverabat; sed quod majoris momenti est, & magis ad rem nostram aptari potest, idem Plato §. Eiusdem dicebat, quinquagesimum quintum annum in viro, & quadragesimum in femina esse & corporis & sapientiae vigorem, quasi ab inde utrumque deficere incipiat. Verumtamen haec multo evidenti testimonio quotidianae experientiae testimonio firmantur; ubi enim ad hanc aetatem pervenerunt senes, non solum memoriam, sed & cuiusvis rationis usum amisisse videntur. Quamobrem senes ad pueritiam remeare respectu vigoris mentis, ex vulgata parœmia patet; Immo Astrologi postquam ultima aetas ad debitum pervenit terminum, quem Decrepitatem nominant, rursus denuo infantiam numerant. Vidi (qui pro exemplo sit, & placet de eo mentionem hic habere) aurifabrum centum annis majorem, qui, cum pro

pro ætatis ratione corpore optime haberet, tamen adeo utramque ratiocinatricis partem læsam in illo conspiciebas, ut si quando propriæ habitationis limen non nisi altero transgressus pede fuisset, jam illū intro per se revocare nesciebat, ita ut aliquando per integrum diem se se per urbem huc atque illuc errabundus conuolueret, tandemque non nisi manu ductus propriam domum repeteret: neque dicas, plures esse, qui ad tantam, immo nec etiam huic similem fatuitatem non deveniunt; nam omnibus illud esse commune vitium testatur ac confitetur Plato in *Gorgia*, seu de *Rhetorica*, & de senum fatuitate Iuvenal. lat. 10. super citat. ita habet:

— Sed omni

Membrorum damno major dementia, que nec

Nomina servorum, nec vultum agnoscit amici,

Cum quo præterita cœnavit nocte, nec illos

Quos genuit, quos eduxit

His ergo sic se habentibus, dubium non est, quod ea, quæ in senes respectu imbecillitatis & infirmitatis corporis locum habent, multo magis procedere debeant in decrepito. Immo nonnulli, quos ci-

tat & sequitur *Gram. decis. 34. num. 5.* negarunt, 26 senes debere servari à tormentis immunes, & voluerunt hoc esse tantummodo decrepitorum privilegium; & hujus opinionis etiam est *Farinac. in supra cit. quæst. num. eodem*, quod ampliat *num. 29.* ut non solum non torqueri, sed neque leviter torqueri possint, immo nec terri. Ea vero, quæ in 27 senes quoad animi consilium & prudentiam locum habent, vix procedere possunt in decrepitis, nisi dicas procedere respectu antea ætatis; & tamen decrepiti veluti senes honore prosequendi 28 sunt, ac in omnibus ob ætatis conditionem ceteris sunt præferendi, *Aristot. Moral. Nicomach. lib. 4. cap. 2.*

Denique de iis, de quibus in superiori quæstione disceptatio intererat, nimirum de generandi potentia, & hujusmodi, nullam hic intercedere dubitationem posse, ex iis quæ inibi adduximus, patet. Et de ætatibus quidem, & iis de quibus circa eas à Iurisperitis dubitari contingit, hæc dicta sunt.

TITVLI PRIMI FINIS.



LIBRI

PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani,

QVÆSTIONVM

MEDICO-LEGALIVM

LIBRI PRIMI

TITVLVS SECVNDVS

De Partu legitimo, & Vitali,

Continens Quæstiones decem;

quarum

- | | |
|---|---------|
| I. De termino nascendi à Natura homini constituto, & an in ea re à ceteris animalibus differat. | Pag. 28 |
| II. De Partu ante septimum mensem. | 36 |
| III. De Partu septimestri. | 39 |
| IV. De octimestri partu. | 43 |
| V. De Partu nonimestri & decimestri. | 47 |
| VI. De Partu supra decimum mensem. | 50 |
| VII. De signis non vitalis fœtus. | 52 |
| VIII. Quot fœtus uno partu nasci possint vitales. | 54 |
| IX. Quot dierum spatio animetur conceptus. | 56 |
| X. Quinam partus proprie mereatur nomen abortus. | 58 |